Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2689
Quelle:
Copyright:

in loco sancto Quia in roma Tempore congruo quia in anno centesimo qui iubileus erat feliciter. quia in statu optimo, quia in statu prelacionis qui est status perfectionis &c. Cetera omnia in locos communes abeunt. De *Johanne a Genstein* plura *Balbinus Miscell. Dec.* I. L. 4. et *Bob. doct.* P. II. edit. *Ungar.* p. 139.

II. *fol.* 145. Continuantur varii rursus *Sermones* in quasdam *Dominicas*, *Isaiam* Prophetam, et aliqua Domini et Deiparae *Festa*, quos non dubito eidem *Conrado Stecken* adscribendos esse. Miscentur iis sub finem Legendae *Thomae Aquin. Cyrilli* et *Metudii*, *Gregorii M.*, *Benedicti*, *Ambrosii*, et *Mariae Aegyptiacae*.

III. *fol.* 194. *Liber de duplici Milicia* hoc initio: *Duplex milicia agitur in hoc mundo vna regis babilonis alia regis iherusalem. Rex babilonis cum suis est dyabolus cum vicijs Rex iherusalem et suus exercitus est christus cum virtutibus* &c. Singillatim deinceps Vitia Virtutesque iis oppositae depinguntur; sed in fine deficit Opusculum, in cujus autore indagando operam lusi.

IV. *fol.* 221. Sermones duo, *in die Adalberti uel Zygismundi* et *de Corpore Christi*. Codicis hujus, ut plurium aliorum jam recensitorum, possessor olim fuit Sacerdos *Bohemus Wenceslaus*; ita enim p. 2. *fol.* 204. subnotavit: *Rossius Pressorovius hos sermones perlexit precipue librum de Duplici militia.*

DCCXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 380. f. currente calamo per duas columnas exaratus sequentia continet: I. *Matthiae Engelschall Sermones de Festis* particularibus et de Communi *Sanctorum* per totum annum. Praeit Index contentorum in quovis Sermone, cui superscriptum *Magister Mathyas Englschall*, et subnotatum: *M° CCCC XXXI. anno. Christianus Eybnperger.* Sequitur Elenchus alphab. quarundam vocum difficiliorum germanice redditarum, v. g. Abstractum *gestiret*, *gremliczt*. Accio *Vurchunder chraft in der matery*. Actualissimus *all snellist* uel *all tuendist*. Apprehensio *Das erst aufhaften der vernunft* &c. Demum succedunt *Sermones*, quorum *primus* est in *Librum Generationis I. C. Matth.* c. 1. Evangelium ipsum ea die legi solitum cuivis Sermoni praetextum est et quidem cum glossa interlineari prorsus ταυτολογῳ. Ultimus habetur in *Festum Dedicationis Ecclesiae*, cui subscriptum: *Anno &c. 27. pronunciatus.* Extitisse Nostri etiam *Sermones in Evangelia dominicalia* triplex ad calcem docet clausula, quarum ultimam, utpote uberrimam, adjicio: *Expliciunt partes tres scilicet hyemalis et estiualis et de sanctis ewangeliorum vnacum Registro secundum breuiarium patauiense et ratisbonense &c. pronunciatum per Reuerendum magistrum Mathyam Engelschall de straubing oriundum, liberalium arcium*